



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

3 An post receptionem causent gratiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

Obiectum facti fit.

Ad argumentum ergo respondeo in illo instanti incipere esse sacramentum per primum sui esse, in esse perfecto, quamuis secundum esse imperfectum ante fiat: sicut calor, ut octo incipit esse per primum sui esse, quia tunc terminatur, & perficitur, licet antea fieret, quoad latitudinem caloris per alterationem successiuam: unde quod ita incipit per primum sui esse, non oportet, ut simul incipiat, sed quod in instanti absoluitur, ac terminetur: neque oportet, ut diximus, in hoc esse simile sacramentum alijs entibus successiuis, quae non requirunt determinatam perfectionem, & veluti intrinsecam consummationem, sed solum successione. Atque idem respondendum est ad alteram partem de definitione sacramenti: concedo enim, illud idem instans, quod est primum esse sacramenti perfecti, esse vltimum esse sacramenti, quod nullum est inconueniens, ut ex dictis facile constat.

Vltimo facile ex dictis intelligitur, quomodo sacramentum gratiam conferat in vnicuique instanti, in quo & ipsum sacramentum existit & primo perficitur ac consummatur, quia in eo instanti omnia concurrunt, ut effectus fieri possit, quae neque ante illud instans, nec post illud concurrere poterunt, quia in eo instanti causa est essentialiter perfecta, & antea non fuit, neque postea duratura est: & alioqui subiectum est capax, & sine obice, ut supponimus: & effectus natura sua postulat, ut indiuisibiliter fiat: ergo in nullo alio tempore, vel instanti perfici commodius potest huiusmodi effectus. Quam doctrinam colligo ex D. Tho. infra quaestio. 75. art. 7. ad 1. & 3. dicente, transubstantiationem perfici in vltimo instanti prolationis verborum, & quaestio. 78. artic. 4. ad 3. vbi dicit in vltimo instanti prolationis verborum habere verba virtutem efficiendi, & eandem doctrinam significat Capreol. in 4. distinctione 2. quaestio. 3. art. 3. ad 2. Scoti contra tertiam conclusionem, vbi refert alia loca Diui Thomae. Possunt etiam praedicta omnia confirmari quodam vulgari exemplo seu casu, nimirum, si contingat subiectum deficere in eo instanti in quo consummatur sacramentum, ita ut illud instans sit primum non esse hominis, qui sacramentum recipit, an tunc detur gratia per sacramentum, nam iuxta opiniones supra tractatas, & praesertim iuxta quartam sequitur, sacramentum fuisse perfectum, & consequenter ratione illius dandam esse gratiam, etiam si in illo vltimo instanti danda sit. Et ita sentiunt Maior in 4. d. 16. & Adrian. materia de Confessione, quaestio 4. quod tamen habet nonnulla incommoda. Primum, hominem, qui toto tempore vitae fuit in peccato mortali, vel originali, in termino eius incipere esse in gratia, vel etiam in gloria, ratione Baptismi. Secundo saluari eum, qui in hac vita, nec hanc actualem, nec habitualem consecutus est. Iuxta nostram autem sententiam haec incommoda facile vitantur: negamus enim illum hominem accepisse sacramentum, quia defuit illi aliquid necessarium ad essentiam, & perfectionem sacramenti. Item, quia cum in eo instanti perficiatur significatio, & tunc deficiat subiectum, quod per verba significatur, non possunt tunc redere verum sensum. Unde consequenter fit, ut neque tunc detur effectus sacramenti, quia sine sacramento non comparatur effectus, ut supra dictum est, & hoc significauit Soto in 4. d. 9. q. 2. art. 7. in fine.

D. Thom.

Capreol. Confirmatur.

Maior. Adrian.

Soto. Obiectio.

Solutio.

Dices, si sacramentum in solo vltimo instanti conferat gratiam, ergo non totum sacramentum facit illam, sed solum aliquid indiuisibile sacramenti, quod in illo vltimo instanti existit. Respondetur simpliciter negando consequentiam, quia, licet sacramentum solum efficiat per illum vltimum terminum suum, tamen simpliciter totum sacramentum conferat effectum, quia ille vltimus terminus non efficit, nisi in virtute, seu ratione totius formae. Item, quia, quod fit per partem, vel per aliquid: quatenus est

complementum alterius, simpliciter fit ab ipso toto: sicut homo videre dicitur, licet non per omnes sui partes, sed per oculum tantum videat: & globus perfectus tangit planum, & impellit illud, quamuis solum per indiuisibile tangat, & impetum imprimat. Adde, quod in sacramentis, licet in ratione mutationis, seu successione illud, per quod fit actio, fit quid indiuisibile: tamen, considerando rem ipsam, semper est res aliqua diuisibilis, ut aqua, sonus, vel similia.

Sed quaeres rursus, cum sacramentum consistat in quo instanti vltimo detur gratia: an in eo, in quo absoluitur forma, vel in quo finiatur materia: non enim semper sunt vnum, & idem. Respondetur, in quibus illorum, quod fuerit vltimum complementum sacramenti: non enim est de substantia sacramenti, quod physice finiatur prius forma, quam materia eius, sed interdum potest prius absolui forma, interdum materia, dummodo moraliter coniungantur, ut supra dictum est. Et donec vtraque finita sit essentialiter, non est completum sacramentum. Et ideo indifferenter fieri potest, ut sacramentum compleatur posteriori tempore, quam forma, si nondum finita sit materia, & e contrario, atque eadem ratione, interdum fieri potest effectus in instanti completio formae, interdum vero in instanti terminatio materiae: dummodo sit illud, in quo completur sacramentum: nam hoc solum est per se, ac simpliciter necessarium. Unde fit, hunc effectum gratiae re ipsa interdum fieri per formam, interdum per materiam, interdum per vtramque ratione vltimi termini, si contingat vtrumque simul concurrere: semper tamen effectus tribuitur toti Sacramento, quia sic in virtute totius: ut supra dictum est. Et eodem modo tribuitur magis formae, quam materiae: quia illa est, quae determinat significationem materiae: vel etiam, quia regulariter consummatur in ea sacramentum.

Vltimo si pererat hic difficultas specialis de Sacramento Eucharistiae: nam quae haecenus diximus proprie solum procedunt de his sacramentis, quae consistunt in vltimo, & ita communia sunt omnibus sine vlla speciali difficultate: at vero sacramentum Eucharistiae est permanentis, & quamuis consistat, non conferre gratiam ante usum manducationis: tamen ille usus habet successione, & in eo reperiuntur duo valde diuersa a ceteris sacramentis. Primum est, quod a principio vsus vsque ad finem, totum sacramentum iam existens applicatur: & tangitur a suscipiente. Secundum quod aliquo tempore post finitam manducationem permanet sacramentum applicatum suscipienti: & ideo est specialis difficultas in hoc Sacramento, quando conferat suam gratiam. Sed cum sit illius propria, in propriam etiam materiam referenda est.

SECTIO III.

Vtrum sacramenta conferant gratiam postquam transacta sunt.

Hae difficultas potissimum procedit de gratia habituali, & de sacramentis, quae consistunt in vltimo, & si extendatur ad Eucharistiam, intelligenda est de tempore, postquam species sacramentales esse defuerunt, seu corruptae sunt, nam de tempore, quo permanent in stomacho post manducationem, est specialis difficultas suo loco tractanda. Rursus supponendum est, certum esse, sacramentum, proprie loquendo, vnum tamen effectum gratiae conferre. Unde, si sacramentum, quando recipitur, suum effectum conferat, certum est postea non conferre alium similem: quia tantum ordinatur ad vnum adaequatum effectum gratiae conferendum: agimus enim de gratia habituali, nam de auxiliante infra dicam. Non disputo

Quaestio in sensu explicatur.

puto nunc, an illa gratia per sacramentum semel collata, si postea per peccatum perdat, rursus per poenitentiam restituatur: quia hoc non est presentis instituti, sed ad materiam de Poenitentia spectat: & quamvis demus, illam gratiam restitui, illa non censetur nouus effectus sacramenti, sed quasi continuatio prioris sine noua dependentia à sacramento. sed ex vi applicationis meritorum Christi facta per præcedentem sacramenti susceptionem. Difficultas ergo superest, quando sacramentum eo tempore, quo suscipitur, non habet effectum propter fictionem seu obicem suscipientis, an postea incipiat illum habere, quando fictio, seu obex remouetur. In qua duo possunt esse extremi modi dicendi, plures autem medij inter illos extremos. Primus in vniuersum negans, sacramentum, quod semel fuit impeditum, ne conferret suum effectum propter obicem, postea illum conferre, etiam si obex auferatur: quia promissio gratiæ solum est facta susceptioni ipsius sacramenti, & sub ea conditione, si homo non ponat obicem: si ergo homo conditionem non implet, & obicem ponit, promissio Dei non habet effectum, atq; adeo Deus liber manet ab omni obligatione conferendi talem effectum. Rursus sacramentum iam non est, vt possit illum conferre. Ergo non est, cur dicamus, illum per sacramentum postea dari: quia nec sacramentum dat, nec Deus dare tenetur ratione sacramenti, quod si non tenetur, neq; infallibiliter dat, nec ex certa lege. Vbi enim est huiusmodi lex? Quod si non infallibiliter datur, iam non est effectus sacramentalis. Et confirmatur. Nam sacramentum non dat gratiam, nisi per illud applicentur Christi merita ad hunc effectum, sed ei, qui ponit obicem sacramento, non applicantur tunc Christi merita, quia est inimicus, & incapax meritorum Christi: ergo illud sacramentum non potest postea habere effectum in huiusmodi homine. Probatur consequentia, quia sine applicatione meritorum Christi non potest gratia conferri: quia hæc applicatio non fit, nisi per ipsum sacramentum, quando suscipitur. Et hanc sententiam necesse est, doceant illi authores, qui negant, Baptismum habere effectum recedente fictione. Quia si de aliquo id affirmandum est, maxime de Baptismo. Hos aut authores referat in propria materia.

2. Modus dicendi conuenitur, & probatur.

3. Modus dicendi.

Caiet. Sot. D. Thom.

Obiectio.

Responsio.

Secundus modus dicendi est, Omnia sacramenta, si cum fictione suscipiantur, illa postea ablata, incipere conferre suum effectum gratiæ sanctificati. Ita sentit Caiet. tom. 1. Opusc. tractat. 5. quæst. 5. de confess. informi, & Pet. Soto. lect. 4. de Baptismo. & videtur esse sententia D. Thom. in 4. d. 17. q. 3. art. 4. quæst. 1. ubi cum dixisset, eum, qui sine interiori poenitentia, absoluitur, tunc non percipere fructum absolutionis, consequi tamē illum recedente fictione: subdit, sicut etiam est & in aliis sacramentis: vnde eadem sententiæ adherere videntur Palud. ibi. q. 3. Capr. q. 2. Ratio huius sententiæ esse potest, quia sacramentorum omnium institutio, & causalitas eiusdem rationis est. Constat autem, aliqua sacramenta habere effectum recedente fictione: ergo idem dicendum est de omnibus. Dices, in quibusdam esse specialem causam, & necessitatem, vt in Baptismo, aut Poenitentia. Sed contra, quia absolute nulla est necessitas, vt sacramentum incipiat habere proprium, & specialem effectum. Satis enim erat, quod homo posset refurgere à peccato per contritionem, absque voto eiusdem sacramenti, sed potius cum ordine ad sacramentum susceptum, quod fieri potest absque effectu ex opere operato. Nam sicut supra diximus, quando datur gratia per contritionem in voto futuri sacramenti, non dari ex opere operato, sed solum iuxta dispositionem operantis, cum ordine ad sacramenta præterita, absq; effectu ex opere operato, & illa gratia esset sufficiens ad salutem. Ergo quod sacramenta aliqua habeant effectum ex opere operato, recedente fictione, non est propter necessitatem simpli-

ter, sed propter maiorem vtilitatem, & propter efficaciam meritorum Christi, & sacramentorum eius: hæc autem ratio locum habet in omnibus sacramentis. Quæ in hunc etiam modum explicari potest, quia per vsum sacramenti, applicantur Christi merita, quantum est ex parte Dei, & Christi: ergo post sacramentum receptum manent Christi merita applicata, & acceptata à Deo, vt quotiescunq; ablato fuerit impedimentum, statim habeant suum effectum. Nam sicut gratia prius collata per sacramentum, & deinde per peccatum amissa, postea per poenitentiam reparatur, quia ad illum effectum iam semel fuerunt applicata Christi merita, quæ semper manent in diuina acceptatione: ita etiam gratia que danda erat per sacramentum, quando primo susceptum fuit, si nullum inuenisset impedimentum, reuiuiscet postea ablato impedimento, quia merita Christi fuerunt applicata, & acceptata à Deo ad illum effectum. Atq; similis coniectura, seu proportio sumi potest ex eo, quod opera mortificata reuiuiscunt postea, quo ad effectum gratiæ: quia sacramentum, etiam si in peccato suscipiatur, licet, vt est opus hominis recipientis illud, sit opus mortuum, tamen vt est opus Christi, non est opus mortuum, sed viuum, quamuis quoad effectum sit veluti mortificatum ex indispositione operantis. Ergo sicut alia opera mortificata recedente peccato habent suum præmium, ita & sacramentum sic susceptum, recedente fictione habebit effectum suum.

Tertius modus dicendi est, Baptismum habere effectum suum, recedente fictione, alia vero sacramenta minime, ita Soto in 4. d. 6. q. 1. art. 3. Alii hanc virtutem tribuunt Baptismo, & Poenitentia tantum, quod sentit Duran. in 4. d. 4. q. 4. nu. 8. & d. 17. q. 13. Alii hoc tribuunt omnibus, & solis sacramentis imprimantibus characterem. Quod sentit D. Thom. in 4. d. 4. q. 2. art. 2. quæst. 3. ad 3. Palud. ibi. q. 5. Sylu. verbo, Baptismus. 4. in fin. Couarr. in c. Alma mater. 1. p. §. 4. nu. 13. in fin. Quæ sententiæ commodus examinantur infra in materia de Baptismo. Nunc solum in genere quæstioni propositæ responderetur: non repugnare sacramento nouæ legis, vt sic, habere effectum, postquam transactum est, habendo scilicet effectum recedente fictione. Probat, quia certum fere est, effectum Baptismi dari recedente fictione. Est in hæc aperta sententia Aug. lib. 1. de Baptismo. c. 12. & lib. 3. c. 13. quam omnes Theologi secuti sunt, vt in proprio loco videbimus. Mortus est autem August. ad hoc asserendum, propterea quod sacramentum Baptismi iterari non potest: vnde, ne homo, qui sic illud suscepit, per vltimo careret effectu huius sacramenti, necesse est, vt effectus sacramenti prius indigne suscepti, redire possit, recedente fictione. Quod maxime in hoc sacramento necessarium fuit, quia eius effectus, scilicet remissio originalis peccati, est necessarius ad salutem, & sacramentum ipsum est medium necessarium ad talem effectum obtinendum, vt latius in prædicto loco dicemus. An vero hoc sit proprium eius, vel aliis etiam cõueniat, tractabimus agentes de effectu Baptismi.

3. Dicens modus. Soto. Durand. D. Thom. Palud. Sylu. Couarr.

Vltimo addendum est, quando effectus sacramenti fit post sacramentum susceptum, & aliquo tempore transactum, tunc non proprie fieri effectum ab ipso sacramento, sed dari à Deo intuitu sacramenti, seu ratione sacramenti prius suscepti: cum enim sacramentum iam non sit, non potest proprie causare, vel efficere gratiam. Nam causare, & efficere supponit esse, ergo solum dicitur ille effectus dari ratione sacramenti, quia intelligitur manere in diuina acceptatione: de qua re dicemus plura in sequenti disputatione.

Sacramentum transactum non dat proprium effectum, sed Deus ratione illius.

Ad fundamenta aliarum opinionum facilis est responsio ex dictis. Ad rationem enim primæ sententiæ dicendum est, sacramenta, quæ habent effectum recedente fictione, id habere ratione diuinæ promissionis

Ad arg. in contrariam respondetur.

D. V. 11

tionis, quae sub hac lege, & modo fieri potuit, & facta creditur, quando finis & natura sacramenti id postulare videtur. Vnde ad fundamenta secundae opinionis dicitur, hanc promissionem, & institutionem non esse eiusdem rationis in omnibus sacramentis, quia non est in omnibus eadem causa, & eadem necessitas, ut declaratum est. Caetera, quae ibi dicuntur, facilia sunt, & ideo non est necesse ad singula prolixius respondere.

DISPUTATIO IX.

De modo, quo sacramenta efficiunt gratiam.

In hac disputatione non est sermo de modo effectiois, ex parte ipsius effectus, ut ita dicam, id est, an fiat in instanti, vel successiue, vel an fiat per creationem, vel educationem de potentia subiecti. Nam prior quaestio in precedenti disputatione expedita est: posteriore vero obiter attingemus in sequentibus: est igitur sermo de modo effectiois seu causalitatis ex parte ipsius cause, seu sacramenti. Supponimus autem tanquam certum, sacramentum non efficere gratiam, ut causas principales, sed ut instrumenta. Quod est per se notum, quia neq; ex se, neq; in se habent virtutem sufficientem ad huiusmodi effectum producendum. Solum ergo superest quaestio de modo instrumentorum, id est, an sacramenta efficiant, ut propria instrumenta physica, vel alio perfectiori modo, & minus proprio. In quare dicemus prius, quid fuerit possibile, deinde quid de facto fuerit à Christo institutum.

SECTIO I.

Verum sacramenta poterint esse propria causa instrumentales physica, gratia sanctificantis.

1. Sententia negat.
Durand.
Scotus.
Capreol.

Fundamen.

Autores fere omnes, qui negant, sacramenta de facto esse instrumenta physica, supponere videntur esse impossibile communicare sacramentis, hoc causalitatis genus, & ita videntur procedere, Durand. Scot. Capreol. & alij sect. sequenti citandi. Potest autem haec sententia fundari, primo in speciali quadam proprietate sacramentorum, eorum praesertim, quae in usu consistunt, scilicet, qui sunt Entia successiua, quae diu sunt, non sunt perfecta, & quando sunt perfecta iam non sunt: quando autem non sunt, efficere non possunt. Sed hoc fundamentum expeditum à nobis est ex dictis disputatione precedenti, sect. 2. Vbi declarauimus, quomodo effectus gratiae fiat in aliquo instanti, in quo sacramentum pericit & existit per aliquid reale, pertinens ad intrinsecum complementum suum, per quod potest gratiam efficere. Secundo fundari potest haec sententia in aliqua speciali proprietate gratiae efficiendae per sacramentum, scilicet, quia gratia tantum potest fieri per creationem: nulla autem creatura potest esse creationis instrumentum. Maior patet, quia cum gratia sit forma supernaturalis, non continetur in potentia animae: ergo non potest inde educi: oportet ergo, ut creetur. Tertio potest fundari in generali ratione omnium virtutum creaturae, & ideo non videntur proprie ac physice effici posse ab inferiori creatura: quia impossibile est operari sine virtute operandi: creatura vero non habet virtutem ad gratiam efficiendam. Quia neq; habet illam connaturalem, cum tota illa actio sit supra naturam eius: nec superadditam, quia nulla res seu qualitas ei additur, per quam agat. Quae ratio maxime locum habet in sacramentis, quae in esse naturae, seu entitatis suae sunt valde imperfecta: quia solent esse quidam motus locales, vel soni: aut voces. Et augeri potest haec difficultas. Primo, quia in his rebus praesertim in sacramentis, nulla potest intelligi actio propria proprii instrumenti, per quam

concurrat ad gratiam efficiendam: sed sine huiusmodi actione non potest intelligi, propria ratio instrumenti, quia de ratione instrumenti est, ut de se aliquid conferat, & agat ad effectum principalis agentis, alias vix intelligi potest, quomodo instrumentum sit. Confirmatur secundo, quia, si sacramenta possunt assumi, ut instrumenta, ad efficiendam gratiam, eadem ratione qualibet res posset esse instrumentum ad efficiendam quamcumq; aliam. Quia non est maior ratio de vna, quam de alia: consequens vero videtur falsum, alias per sensum posset Deus efficere visionem beatificam, & per relationem posset efficere rem absolutam, quantumuis perfectam. Vnde etiam fieret, ut non minus per diuinas etiam relationes posset Deus efficere per creaturas, non habentes virtutem connaturalem operandi, quae per relationes sibi proprias, & intrinsecas: consequens autem est falsum, alias etiam posset Deus aliquid efficere per vnam relationem personalem, & non per aliam, atque ita opera Trinitatis ad extra non essent necessario indiuisa.

Nihilominus dicendum est non esse impossibile, neque implicare contradictionem, ut sacramenta fieri propria, ac physica instrumenta ad gratiam in anima efficiendam, attingendo immediate ad proxime ipsam gratiae productionem. Haec est sententia D. Thomae in his articulis, quam Caiet. sequitur & alij eius discipuli frequentius. Et probari potest, primo omnib. testimoniis, quibus infra probabimus, ita esse de facto. Secundo probari potest ex his, quae docuimus in primo tomo huius partis disput. 31. ubi ostendimus Christi humanitatem fuisse instruatam physice gratiam efficiens: non est autem maior implicatio contradictionis in sacramentis, ut per se colat. Quia Christus aut verbo, aut tactu suo gratiam conferbat: cur ergo non poterit idem facere, per verbum sacerdotis, seu ministri? Tertio: ratio à priori est, quia non implicat contradictionem, ut Deus faciat creaturam aliquam pendere ab alia à qua ex natura sua non pendet: neq; implicat Deum facere, ut creatura aliter producat, quam ex natura sua produci possit. Neque etiam repugnat, ut aliqua naturalis potentia aliquid efficiat ultra suas naturales vires, ut verbi gratia, quod intellectus efficiat visionem beatam: ergo pari ratione non implicabit contradictionem, quod sacramenta efficiant gratiam. Sed hoc ostendetur melius, soluendo difficultates, & repugnantias, quae in hac effectiois esse videntur: nam si nulla afferri potest ratio, quae ostendat hoc implicare contradictionem, non est cur asseramus hoc esse Deo impossibile. Et quoniam, ut dixi, prima difficultas in superioribus expedita est, reliquis tantum satisfaciendum erit.

Secunda ergo difficultas non solum alios auctores, sed etiam plures ex D. Thomae sectatoribus torset, & ideo varie circa illam locuti sunt. Primus modus respondendi est, illo argumento recte probari, sacramenta non posse esse instrumenta physica ad efficiendam gratiam immediate, ac proxime illa attingendo: esse tamen instrumenta ad efficiendam aliquam dispositionem, ut characterem, vel ornatum, ad quem statim sequitur gratia: sicut (iuxta multorum opinionem) calor est instrumentum ignis ad producendum ignem, non quia attingat ipsam substantialem formam ignis proxime, & immediate, sed quia efficit dispositionem, ad quam illa forma consequitur. Ita opinatus est D. Thom. q. 27. de verita. artic. 4. ad 3. & in 4. d. 1. q. 1. artic. 4. quem secuti sunt ibi Paluda. q. 1. opinione 2. Capreol. q. 1. concl. 3. Thomas de Argentin. q. 1. & in 2. d. 19. q. 1. art. 3. Sed hic modus dicendi mihi omnino displicet. Quia neq; vlla ratione fulcitur, nec consequenter loquitur. Quia necesse est, ut in eandem difficultatem incidat, quae vitare cupit: vnde difficultatem non soluit, sed auget. Quod ut declarem, interrogo de dispositione illa, quam dicuntur sacramenta efficere, an sit qualitas aliqua naturalis, vel supernaturalis: nam primum horum dici

Sacramenta posse esse instrumenta physica non repugnat. D. Thom. Caiet.

Ad 1. fundamentum curie respondetur. 1. Modus.

D. Thom. Palud. Capreol. Argentin. Responsum.

non